TIT. XXI.
DE DEPOSITIONE [1] ANTHIMI [2] ET SEVERI [3] ET PETRI [4] ET ZOARÆ [5] ET RELIQUORUM.
NOVELLA CONSTIT. XLII.

Verſa quidem eſt ab Haloandro: ſed veterem ejus tranſlationem ex tomo Concilii quinti Conſtantinopolitani reſtituimus, & mendis quibus ſcatebat etiam in noviſſima editione Colonienſi anno 1567. perpurgavimus.

In nomine Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri.

Imp. Cæſar, Flavius, Juſtin. Alemanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, glorioſus, victorioſus, triumphalis, ſemper Auguſtus, Menæ ſanctiſſ. & beatiſſ. archiepiſcopo & Univerſali patriarchæ.

PRÆFATIO.

REm non inſolitam imperio & nos facientes ad præſentem venimus legem. Quoties enim ſacerdotum ſententia quoſdam indignos ſacerdotio de ſacris ſedibus depoſuit, (quemadmodum Neſtorium [6], Eutychen [7], Arium [8], Macedonium [9] & Eunomium, ac quoſdam alios ad iniquitatem non minores illis) toties imperium ejuſdem ſententiæ & ordinationis cum ſacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina & humana pariter concurrentia, unam conſonantiam rectis ſententiis facere. Quemadmodum & nuper factum eſſe circa *Anthimum* [10] ſcimus, qui quidem dejectus eſt de ſede hujus regiæ urbis a ſanctæ & glorioſæ memoriæ *Agapeto* [11] ſanctiſſ. eccleſiæ antiquæ Romæ Pontifice, eo quod nullo modo ſibiipſi convenienti (contra omnes ſacros canones) ſe intruſerat ſedi, ſed & communi ſententia ipſius ſanctæ memoriæ viri primum, atque etiam ſacræ ſynodi hic celebratæ condemnatus & depoſitus fuit, eo quod a rectis dogmatibus receſſit: & quæ prius multotiens diligere videbatur, hæc demum diverſis luſtrationibus aufugit, ſimulans ſequi ſanctas quatuor ſynodos (trecentorum videlicet decem & octo patrum in Nicæa, & centum quinquaginta in hac felici civitate, & in Epheſo primo congregatorum ducentorum, & ſexcentorum triginta venerabilium patrum in Chalcedona.) At quidem nec dogmata ſequi, nec noſtram clementiam & condeſcenſum, quem propter ipſius ſalutem habebamus, ſuſcipere voluit, neque ipſe abdicare auctores impiorum dogmatum, qui prius a ſanctis ſynodis expulſi fuerant, ſed putavit oportere ſecundum ipſum & in æquali ducere & condemnatos & condemnatores. Nam ſemel alienis a ſanctiſſima eccleſia intellectibus mancipatus, & a rectis dogmatibus alienatus, merito ad ipſorum rectitudinem reverti non valuit, etiam ad hæc invitatus a nobis & directus, qui omni ſtudio uſi ſumus ad ipſius ſalutem.

CAP. I.

PRopter hæc igitur omnia, ſententiam depoſitionis in ipſum a ſancta ſynodo factam occaſione non liciti neque a ſanctis canonibus approbati raptus ſacrarum ſedium hujus regiæ urbis, & averſionis a rectis & veris dogmatibus Cyriam [12] propriam noſtram facit imperium, & contra iſtum præſentem ſcribit legem. Interdicimus autem & ei commorari in hac felici civitate & ejus diſtrictu, ac in quacunque alia inſigni civitate, ſancientes in quiete eſſe, & eos diligere, quibus ſe ipſum digne ſuppoſuit, & non aliquibus communicare, neque eos imbuere in perditionem interdictorum dogmatum. §. 1. Nec utique extra imperialem confirmationem relinquimus ſententiam juſte contra Severum [13] latam, ac ex omnibus (ut ita dicamus) pontificalibus & patriarchalibus (una cum monachicis conſenſibus) provenientem ſedibus, & anathematiſmum ipſi inferentem, qui prius contra ſacras ſanctiones, accipiendo ſedem ſanctiſſimæ eccleſiæ Theopolitanorum [14], ſic univerſa conturbavit, ſicque accumulatas turbationes fecit, quod commune quoddam ac abominabile bellum ſanctiſſimis eccleſiis adinvicem immitteret. Et hoc a ſceptris quæ ante nos fuerunt contra ipſum ſcriptum erat variis dogmatum, & a rectitudine alienatis intellectibus ac blaſphemiis uſum fuiſſe, ac univerſa conturbaſſe, & illum quemcunque errorem abominabilem hæreſiarcharum & iniquorum dogmatum recipere, Neſtorii dicimus & Eutychis, & cum uterque horum præceptorum contrarii quodammodo adinvicem eſſe videantur, ad unum vero impietatis finem inferant, etiam illorum divulgatos ſermones, eum in unum formaviſſe: duobus enim exiſtentibus dogmatibus adinvicem repugnantibus, quorum utrumque ſimiliter ad animæ perditionem adducit, Neſtorii videlicet & Eutychis (quemadmodum dicendo narravimus) quæ ex Arianorum & Apollinarii contagione conſiſtunt, ipſe paradoxum quid perpeſſus in utrumque ſimiliter incidit, & ibi quidem hoc, ibi quidem illud mittendo ſeipſum & ſermones ſuos viſus eſt conſtituiſſe commune receptaculum tantorum delictorum.

§. 2. Sit itaque & ipſe ſub prædicto anathematiſmo, quem univerſus patriarchalis, pontificalis, ac monachicus noſter (ut ita dicamus) politiæ cœtus juſte in ipſum induxit, ut de Theopolitana [15] quidem eccleſia ejectus, idcirco quod thronus de illa ipſum removit, eo quod ipſius principatum recte non acceperat, ſed adhuc vivente eo & in ſanctiſſimis eccleſiis commorante, qui ante ipſum ſacerdotium habebat, & propter eum, qui poſt ipſum fuit, de ſacerdotio excideret. Nec vero uſque adhuc ſtetit, ſed etiam ſub communi orthodoxæ ac catholicæ eccleſiæ anathematiſmo factus multis libris blaſphemiiſque & abominationibus nobis pollutis implevit, quare univerſis interdicimus, aliquid de libris ipſius poſſidere. Et ſicut non licet Neſtorii libros ſcribere [16] vel poſſidere,) quia prædeceſſoribus noſtris imperatoribus in ſuis conſtitutionibus viſum eſt ſtatuere ſimilia his, quæ dicta & ſcripta ſunt a Porphyrio [17] in Chriſtianos) ſic nec dicta & ſcripta Severi maneant penes aliquem Chriſtianum, ſed ſint profana & aliena ab eccleſia catholica, igneque comburantur a poſſidentibus, niſi qui iſta habent, velint periculum pati. A nemine ergo ſcribantur, neque ad pulchritudinem, neque ad velocitatem [18] ſcribentium, ſciendo quia amputatio manus his qui ſcripta ejus ſcripſerint, pœna erit. Neque enim volumus in futuro tempore ex illis blaſphemiam protrahi. §. 3. Similiter autem & huic interdicimus omnino regiam civitatem ingredi, aut diſtrictum ejus, nec aliquam aliam de inſignibus, ſed in aliqua ſolitudine, & in ſilentio ſedere, & non corrumpere cæteros, neque in blaſphemiam ipſos adducere, & non ſemper aliquid novi invenire contra vera dogmata, per quod rurſus nobis conturbare ſanctiſſimas eccleſias feſtinet.

CAP. II.

SEd nec Petrum [19] Epiſcopum Apameæ, & ſimul depoſitum, & ſimul ab ipſis a quibus Severus, ſub prædicto anathemate factum, imperium admittit, ſed ſint propria contra ipſum ſententiam. Et qui ſub communi anathematiſmo ordinatus eſt, ſub ipſo eſto: & ſententia ſanctiſſimorum pontificum, quæ ipſum prævenit, firma permaneto. Neque vero permittimus illi hanc regiam urbem habitare, aut ipſius diſtrictum, vel aliquam de inſignibus, ſed quorum ſecutus eſt errorem, horum imitetur diætam, quam longiſſime abſcedens, & occultans ſeipſum. Nam talibus occultari quam videri, utilius eſt: ignoti etenim exiſtentes, ſe ipſos lædunt ſolos, publicantes vero ſua dogmata, multis & ſimplicioribus occaſionem perditionis præbent, quod nullo modo fieri in Chriſtiano ovili Dei & orthodoxo populo juſtum eſt, neque ab imperio permiſſum eſt.

CAP. III.

QUoniam vero & Zoaram [20] digne penitus judicarunt ſub anathematiſmo eſſe reverendiſſimi & qui juſta judicant epiſcopi, (cum parva quædam talium malorum interpoſitio ſit) & in quibus dehoneſtatus eſt, omnia videlicet comprehendendo ex memoria quadam abundanti, ſit & Zoaræ interpoſitio [quædam parva] hujus malæ partis, (Anthimi dicimus & Severi ac Petri) ordineturque & ipſe inter anathematizatos, ſacra ſententia ipſum deferente, quam propriam & ipſam in ſe ipſa exiſtentem, adhuc magis cyrioteran [21] imperium facit, & hunc de hac regia urbe & ejus diſtrictu abjicit, & habitationem in aliis civitatibus ipſi omnino interdicit. Itaque cum illis ſolis habitet & conſulat, qui a nobis ante memorati ſunt, qui ſimilia quidem blaſphemant, [ſimilia patiuntur] & ſimiliter in exilio ponuntur. Si quid vero aliud in ſententia ſanctiſſimorum epiſcoporum continetur, quæ prædictos deponit & anathematizat, hoc firmius ponimus & diutius, ac imperialibus noſtris legibus ipſum corroboramus, ac ſi ab imperio ipſo proveniſſet. Si vero aliquis ipſorum deprehendatur de cætero facere aliquid præter conſtituta, ſciat incidiſſe in legibus imperialibus, quæ minores pœnas declinantes, ad majores immittunt indignationes. §. 1. Interdicimus autem & omnibus conantibus catholicam Dei eccleſiam divellere, (ſive ſecundum Neſtorii [22] hæretici doctrinam, ſive ſecundum inſenſatam Eutychis [23] traditionem, ſive ſecundum blaſphemiam Severi [24], qui & ſimilia illis intellexit, aut eorum qui illos ſequuntur) ſeditionem immittere ſanctiſſimis eccleſiis, & loqui aliquid de fide: ſed ſancimus quemlibet talium ſilentium ducere, & non convocare aliquos ad ſe, neque accedentes recipere aut *parabaptizare* audere, aut *ſacram communionem* ſordidare, & ipſam aliquibus tradere, aut interdictas doctrinas exponere, ſive in hac noſtra regia, ſive in alia: ſed omne ſupportare periculum, ſi quid tale faciet. §. 2. Interdicimus etiam omnibus iſtos ſuſcipere. Abjici ergo ipſos ſancimus de civitatibus ab ipſis concitatis, ſcientes pœnas jam contentas in noſtris divinis conſtitutionibus, quæ & domos [25] ipſas in quibus tale quid fit, & campos ex quibus nutrimenta præbentur, ſanctiſſimis eccleſiis aſſignant, & a poſſidentibus auferunt, quia detrimenti cauſa fit ſimplicioribus, ſub ſanctiſſimis vero & orthodoxis eccleſiis hæc juſte ducunt eſſe.

§. 3. Hæc pro communi pace ſanctiſſimarum eccleſiarum ſtatuimus, hæc ſententiavimus, ſequentes ſanctorum patrum dogmata, ut omne ſacerdotium imperturbatum de cætero nobis permaneat. Quo in pace ſervato, reliqua nobis exuberabit politia, deſuper pacem habens, quam omnibus magnus Deus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus Trinitatis unus, unigenitus Dei filius prædicat ac donat his, qui ſyncere ipſum & vere glorificare ac adorare digni habiti ſint.

EPILOGUS.

† Cuſtodiat itaque beatitudo tua, quæ recte adnotata ſunt, & mittat ipſa per ſuas Deo dilectas literas omnibus ſanctiſſimis metropolitis ſub ipſa exiſtentibus, quorum cuilibet cura erit ipſa manifeſta facere ſanctiſſimis eccleſiis ſub ipſis ordinatis, ut neminem ex omnibus lateant quæ ſacerdotio viſa ſunt, & ab imperio confirmata. Divina [26] ſubſcriptio. Divinitas te ſervet per multos annos ſancte ac religioſe pater. Dat. 8. [27] Id. Aug. *Conſtantinop.* poſt conſulatum BELIS. V. C. [28].

TIT. XXII.
DE OFFICINIS SIVE TABERNIS CONSTANTINOPOLITANÆ URBIS: ET UT MILLE [29] TANTUM ET CENTUM [30] OFFICINÆ [31] SACROSANCTÆ MAJORIS ECCLESIÆ EXCUSENTUR: OMNES RELIQUÆ, AD QUEMCUMQUE DOMINUM PERTINEANT, CONSUETA OBEANT MUNIA.
NOVELLA CONSTIT. XLIII.

In nomine Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri.

Imp. Cæſar, Flavius, Juſt. Alamanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Lazicus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, glorioſus, victor, triumphator, nunquam non colendus, Auguſtus, Longino præfecto urbis.

1 Περὶ τῆς καθαιρέσεως Ἀνθίμου &c. De epiſcopis regradatis *Index Reginæ apud* Cujac. Interim nota, duo eſſe pœnarum eccleſiaſticarum genera, καθαιρέσεως epiſcoporum: ἀφορισμοῦ plebeiorum & monachorum. 2 *In pr. inf.* adde Evagr. 4. *cap.* 11. & 35. 3 *Cap.* 1. §. 1. *infr.* 4 *Cap.* 2. *infr.* 5 *Cap.* 3. *infr.* 6 Neſtorius duas perſonas in Chriſto conſtituebat. 7 Eutyches unam tantum naturam in Chriſto aſſerebat. 8 Arius tres naturas in Trinitate adſtruebat. 9 Macedonius Spiritum ſanctum Deum eſſe negabat. 10 Conſtantinopolit. epiſc. deponitur. 11 In jure inter pontifices numeratur Agapetus, hoc & Petrus & Domnus *l.* 1. *Cod. de ſumma trinitate.* Item Papa Joann. II. *l.* 8. *Cod. eod.* inſcript. Papa Vigilius *Novell.* 131. *cap.* 3. *Anſ.* 12 Id eſt propriam vel ratam. *Cyria* propria hic id dicitur, ut apud Paulum, Abba pater. 13 Severus deponitur. 14 De Theopoli ſeu Antiochia dixi ad *l.* 6. *in fin. C. de ſumm. trinit.* 15 Severus epiſcopus Theopolitanæ deponitur. 16 *l.* 6. §. 1. *C. de hæret.* adde *Nov.* 17. *c.* 8. 17 Porphyrius adverſus Chriſtianos ſcripſit. *d. l.* 6. *l.* 3. §. 1. *C. de ſumm. trinit.* Porphyrii vitam vid. apud Eunapium *in vitis Philoſophorum & Sophiſtarum*, & Suidam *in voce Porphyrius.* 18 *Suidas in Origene.* 19 Petrus Epiſcopus Apameæ deponitur. 20 Zoaras deponitur. Syrus erat, parabaptiſmata faciens. *act.* 1. *Syn.* 5. *Conſtantinop.* Reconventiculans, ebaptizans, parabaptizans, *d. act.* 1. hoc eſt, referatur in eum numerum. 21 Id eſt, propriam magis. 22 De quo *l.* 3. §. 2. 3. *paſſim C. de ſumm. trinit.* 23 *l.* 6. *C. de ſumm. trinit.* 24 *C.* 2. *ſupr. eod.* 25 De ea re alibi dixi *Novell.* 14. *Novell.* 58. 26 Id eſt, imperatoris. 27 17. Kal. Auguſt. *Scrimg.* 28 Anno 536.

29 Vide Julianum *conſt.* 13. 30 Major eccleſia Conſtantinopolitana: quo nomine 1102. officinas in præcipuis foris urbis obtinuerant, quarum aliæ Veſpillones, aliæ foſſarios, aliæ pecunias eccleſiæ præſtabant. 31 Ergaſteria vocat Julianus, *cap.* 53. ut & Græci ad hanc Novellam & inf. *Novell.* 59. & Leo *Novell.* 12.

PRÆFATIO.

QUoniam potentiæ noſtræ ſubditi noſtri ſive vivant, ſive moriantur, curæ ſunt: ne vel graves ipſis ſepulturæ, vel defuncti cognatis damnoſæ exiſtant, propterea & hæc, quæ eorum ſepulturam concernunt, quo convenit modo, diſpoſuimus. Et quia tam divæ memoriæ Conſtantinus [1] amplæ hujus [2] noſtræ urbis conditor, quam etiam pientiſſimus princeps Anaſtaſius, lecticariorum [3] ſeu decanorum [4] (ut vocant) numerum ad certam menſuram redegerunt, mille & centum tantummodo decanis, totidemque officinis definitis, ut nullo hæ unquam tempore augmentum reciperent: propterea ſane cupientes, ut numerus eorum, quos ex unoquoque collegio convenit eſſe lecticarios, divæ memoriæ Anaſtaſii formulæ ſubjaceat, firma ea & fixa manere voluimus. Cæterum quia adeuntes nos almæ hujus & regiæ noſtræ urbis collegiati, quorum excellenter & præ cæteris curam gerimus, potentiam noſtram edocuerunt, magnam & intolerandam ſe neceſſitatem ſuſtinere. Sacroſanctam etenim majorem eccleſiam centum [5] & mille officinas in fructu habere ab omni vectigali [6] liberas [7], quas oppido quam libenter illi concedant, eo quod ad [8] peragendas in commune omnium hominum exequias proficiant: ſed cætera ſe onera ferre non poſſe. Nam cum plurimæ in alma hac urbe diverſarum mercium & negotiationum officinæ tabernæque exiſtant, non haſce ſolas (nempe centum & mille) officinas prædictis publicis muniis obeundis exemptas eſſe, ſed etiam multas ſacroſanctas eccleſias, multa ſacra hoſpitalia, monaſteria, & alias ſacras ædes, quarum pleræque prius hæreticis mancipatæ [9], deinde ad orthodoxam fidem reverſæ ſunt, multas quoque regias domus, & inſuper magiſtratuum, ac ſenatorum, & illuſtrium, & cubiculariorum a præſtatione vectigalium eximi, harumque dominos peculiarem ſibi exinde reditum comparare, & oblædere rempublicam, exemptionum multitudine rem ipſam anguſtis admodum terminis concludente, ut pauciſſimi exiſtant, qui publica agnoſcant & ſuſtineant munia, & priores contributiones aliquoties in triplo & quadruplo, hoc tempore etiam decuplo majores factæ ſint: quamquam divus princeps Anaſtaſius in ſtatuta ab ipſo formula nulli omnino alii immunitatem concedat præter centum & mille officinas, quæ per [10] cauſam exequiarum ſacroſanctæ majori eccleſiæ attributæ ſunt: Ea propter & nos putavimus, tum proceribus noſtris & inſuper beatiſſimo hujus almæ urbis archiepiſcopo id negotii dandum, ut certo loco convenirent, & rem ipſam examinarent, atque placita ad nos ſua referrent, tum ad excellentiam tuam præſenti utendum lege, confirmantes ea quæ Anaſtaſio pientiſſimo in hoc principi placuerunt.

CAP. I.

ET ſancimus, ut [11] centum quidem illæ & mille officinæ, ſacroſanctæ majori eccleſiæ occaſione decanorum, ſive lecticariorum, & ad [12] peragendas defunctorum exequias deputatæ, omnibus modis integro numero & omni præſtatione liberæ conſerventur: præter ipſam nulla alia queunte decanum exigere, ſive ex hæreticis recepta, ſive quacunque ſacroſancta eccleſia. Sed quod nuper conſtituimus, valeat, & octingentæ quidem officinæ corpora [13] præſtent, trecentæ autem in exactione pecuniarum conſiſtant [14], nam quod exinde corraditur, ad quid proficere conveniat, ſacra jam noſtra pragmatica forma diſpoſuit. Semperque quod intercidit, reſtauretur: at qua ratione fieri debeat reſtauratio, ſatis per Anaſtaſii piæ memoriæ juſſiones expreſſum eſt. Hæ igitur ut immunes & ab omni vectigali maneant exemptæ, ſancimus: neque his ipſis officinis, neque vectigalia imperantibus collegiis, quæ iſtas præbent, quidquam damni ſuſtinentibus, aut ullos titulos agnoſcentibus. §. 1. Cæteræ vero omnes hujus almæ urbis quatuordecim [15] regionum officinæ, ſive ſacroſanctæ alicujus ſint eccleſiæ, ſive hoſpitalium, ſive monaſteriorum, ſive orphanotrophiorum, ſive ptochiorum, ſive alterius cujuſcunque dominii, ſive regiarum domuum, ſive aliquorum magiſtratuum, ampla, media, minutave officia adminiſtrantium, ſive glorioſiſſimorum ſenatorum, ſive magnificentiſſimorum illuſtrium, ſive ſpectabilium cubiculariorum, ſive aliquorum militiis adſcriptorum: hæ inquam omnes publica ipſis impoſita præſtent vectigalia, & omnia alia tum faciant, tum impleant, quemadmodum quemque in ſuo collegio facere æquum eſt, *ſemperque per collegii præfectos in publicum perſolvant:* nemine queunte ea de cauſa inniti privilegiis aut ejuſmodi alia uti excuſatione. Neque enim ſuſtinemus aliorum onus ad alios deferri, aut tam immitem proponere formulam [16], ut quotidie vectigalia augeantur, & (quemadmodum edocti ſumus) quadruplo, aut quintuplo, adeoque etiam decuplo majora irrogentur, cum nihil tam magno ſtudio tamque ſerio affectemus, quam ne [17] novo quiſquam vectigali oneretur. Novum [18] autem fuerit non tantum quod nunc primum impoſitum eſt, ſed etiam quod primum modum excedit. Sed eadem conditione ac fortuna omnes ſunto, & ſacra hæc noſtra pragmatica forma (quam legem etiam appellare licuerit) contra omnes communis eſto, ut omnibus largiatur, quo moleſtia vacent. Neque enim facile eam quis ægre tulerit, ſi neminem alium præterea exemptum intueatur: niſi quod in centum & mille officinis exequiarum defunctorum ratio habeatur, quæ maxime communis eſt omnibus & ex æquo univerſis parata [19] hominibus. §. 2. Si quis vero conetur excuſatione aliqua uti, & ſeipſum a præſtanda alleviare contributione, & aut non committere, quo magis ab inquilinis ſuis exigatur, aut præſtare etiam patrocinium, ſive militare, ſive civile, ſive eccleſiaſticum, ſive quodcunque tandem: in univerſum officinæ [20] dominio excidito, eſtoque ipſis publica, toti addicta collegio. Eo enim pacto & cautiores erunt, & vetita non attentabunt. Porro ſi minutatim [21] & pariter in omnes vectigalia diſtribuantur: non ſolum paululum erit quod præſtitum fuerit, ſed etiam tanto moderatius, levius, tolerabilius, faciliusve quod confertur, exiſtet, quanto a pluribus colligitur. An vero non multo abſurdiſſimum [22] fuerit, homines propriis laborantes manibus, & uxores ac liberos alentes, & reliqua denique vitæ neceſſaria inde acquirere ſatagentes, etiamnum majoribus onerare vectigalibus, & quanto plures inter alleviatas referuntur, tanto etiam majores exinde læſiones oboriri? idque onus infinitum ſit, neque poſſit ullum habere terminum. §. 3. Hæc nos omnia prohibentes, ſacram hanc pragmaticam formam proponimus, amiſſionis pœnam ſimiliter omnibus ordine ſubditis interminantes, ſi ex quoquo collegio imperitantes ſolita illa, & ab initio ſtatuta vectigalia percipere prohibuerint, aut vectigalia conentur in [23] penſiones privatas convertere: ſed quiſque pro ſe quidem penſionum illatione perfruitor: officinas autem ſeu tabernas ſolito receptoque more contributiones agnoſcere concedito. Quemadmodum enim quiſque pro ſe rebus ſuis proſpicit, ita & nos neceſſe eſt ei quod amplæ & regiæ huic urbi expedit & confert, nutanti quodammodo & jam lapſuro, manus porrigere, neque enim aliter, quæ publice expediunt, progreſſus habitura ſint, *quam ſi tali onere, qui id hactenus ferre coacti ſunt, liberentur.*

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & ſacra hac exprimuntur lege, ea excellentia tua, imo non ipſe tantum cuſtodies, ſed & quicunque poſt te idem officium ſuſcepturi ſunt, & obtemperans tibi cohors, jam inde in omne reliquum tempus cuſtodiet [24].

TIT. XXIII.
DE TABELLIONIBUS [25] ET UT PROTOCOLLA [26] DIMITTANT IN CHARTIS [27].
NOVELLA CONSTIT. XLIV.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Joanni præfecto prætorio, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

LItem paulo ante audivimus præſenti legi præbentem occaſionem. Ex perſona quidem mulieris cujuſdam ferebatur documentum [28], literas quidem ejus non habens [29], (erat enim harum ignara) completum autem a tabellione [30] & tabulario, ſubſcriptionem ejus [31] habens, & teſtium oſtendens præſentiam: deinde dum quædam dubitatio ſuper eo fieret, muliere dicente, non eſſe a ſe delegata [32] quæ charta loquebatur: qui litem audiebat, quærebat [33] a tabellione cognoſcere negotii veritatem: denique tabellionem deduxit [34]: at ille literas recognoſcere dixit completionis [35] tabellionis, non tamen noſſe aliquid horum quæ ſecuta ſunt [36], nec enim ſibi ab initio penitus delegata, ſed commiſiſſe cuidam ſuorum hoc facere: neque poſtea veniſſe ad completionem, ſed rurſus alii hoc commiſiſſe, & is quidem qui affuit completioni, venit, nihil nec ipſe dicens ſe noſſe: etnim neque ſcriptor fuit documenti, ſed ſolum docuit, quia præſente ſe hoc dimiſſum ſit, nec cui ab initio delegatum eſt, inventus eſt: unde niſi per teſtes judex valuiſſet agnoſcere cauſam pure, periculum patiebatur, undique cadente negotii notitia. Et illud quidem competentem meruit examinationem atque decretum.

CAP. I.

NOs autem credimus oportere univerſis auxiliari, & communem in omnibus facere legem: quatenus præpoſitis operi tabellionum, ipſis per ſe omnibus modis injungatur [37] documentum, ut dum dimittitur [38] interſit: & non aliter imponatur chartæ completio, niſi hæc gerantur: ut habeant unde ſciant negotium, & interrogati a judicibus, poſſint quæ ſubſecuta ſunt cognoſcere, & reſpondere, maxime quando literas ſunt ignorantes [39] qui hæc injungunt [40]: quibus facilis eſt & inconvincibilis denegatio horum quæ pro veritate ſecuta ſunt.

§. 1. Ut ergo omnia hæc prohibeamus, propterea præſentem conſcripſimus legem: & hæc cuſtodiri modis omnibus volumus a tabellionibus, ſive in ipſa feliciſſima civitate, ſive in provinciis ſint: ſcientibus,

1 *Novell.* 59. *Nov. Leonis* 12. 2 Conſtantinopolitanæ ſcilicet. 3 Lecticarii, decani, & Veſpillones, *Novell.* 59. *Græci hic* λεκτικαρίων ἤτοι δεκανῶν. 4 *l.* 4. *C. de ſacroſ. eccleſ.* 5 *Nov.* 59. *c.* 2. 6 Seu muneribus & intributionibus. 7 Et hoc jure poſſidetur etiam hodie a ſacerdotibus Mahumetanis. 8 Nota, quos in uſus eccleſiaſticæ officinæ inſerviant. adde *c.* 1. *J. eod.* 9 Officinæ eccleſiaſticæ ad hæreticos pertinentes, orthodoxorum factæ. 10 Nam ex earum reditu ſumptus funerum fiebant. *Leon. Nov.* 12. 11 *Nov.* 59. *c.* 1. 12 *In princ. ſupr. eodem.* 13 Id eſt, Veſpillones ac foſſarios. 14 Id eſt, reditum pecuniarum præſtent. 15 Regiones totidem erant Romæ, nempe quatuordecim, quarum binis ſingulæ cohortes attributæ, *l.* 3. *ff. de off. præfect. vigil.* poteſt etiam non incommode eas ad regiones referri lex 1. §. 3. *ff. de offic. præfect. urb.* eo ſenſu, Licere nimirum præfectis interdicere non tantum urbe integra, ſed & ejus aliqua regione, *faire defenſe de demeurer en tel & tel quartier.* 16 Immitis formula, per quam vectigalia augentur. 17 Vid. *tit. C. vectigal. nova inſtitui non poſſe.* 18 Novum vectigal eſt, nunc primum inventum, vel excedens modum prioris. 19 Εφηπλωμένῳ: parata. 20 Ergaſteria. *Jul.* 21 Vectigalium diſtribuendorum rationem optimam nota. 22 Proletarii immunes a vectigalibus. 23 Εἰς ςιγονόμια τρέπειν. Scrimg. 24 Dat. 15. Kal. Jun. Conſ. poſt Beliſ. V. Conſ. anno 1. *Scrimg.* Dat. 6. Kal. Jun. &c. *Jul.*

25 Περὶ συμβολαιογράφων καὶ συμβολαίων. 22. *Ecl.* 2. De tabellionibus & eorum fide Jul. *conſt.* 40. Porro tabelliones ſunt publici contractuum tranſactores, *l.* 14. §. 3. *C. de ſacr. eccleſ. l.* 17. *Cod. de fid. inſtrum. l.* 2. *Cod. de Eunuch. l.* 1. *Cod. ut nemo ad ſuum pat.* & teſtamentorum perſcriptores. *l.* 24. *C. de teſtam.* Eorum inſtrumenta ἀγοραῖα. *Novell.* 73. adde *l.* 21. *Cod. ad l. Cornel. de falſ. l.* 15. *Cod. de decurionib.* iidem tabularii ἀγοραῖοι, νομικοί. 26 Πρωτόκολλα. Protocollum. non eſt major & regia charta velut quidam opinantur: nec eſt ſcheda negligentius ſcripta: Non eſt etiam exemplar formularum, quo tabelliones uti ſolent: ſed brevis adnotatio, quæ declarabat, quo Comite largitionum, (ſub cujus cura erant chartariæ) quo tempore & a quo præparatæ fuiſſent chartæ. Ex eo arguebantur ſæpe falſitates, qua & ratione *Cujac.* refert Lutetiæ accidiſſe, ut Senatus ſuſpectum chirographum arguerit, ex die in eo adſcripto, quo nondum ejus notæ (Galli *la marque*) charta ulla erat in rerum natura. Et hac ratione vetat Juſtinianus ex chartis abſcindi protocolla. Item inſtrumenta in aliis chartis ſcribi, quam in his, quæ protocolla habeant. Jul. *num.* 175. & *cap.* 2. *J. eod.* 27 In inſtrumentis, *Index Reginæ apud* Cujac. 28 Συμβόλαιον. 29 Non perſcriptum ejus manu. 30 Alius eſt συμβολαιογράφος a ταβουλαρίῳ. Inſtrumentum enim hic profertur completum a tabellione, ſubſcriptum a muliere tabularii manu, *ut Novell.* 73. 31 Αὐτῆς, id eſt, mulieris. 32 Επιταχθέντα, id eſt, demandata. 33 Hinc colligunt notarios non ſponte, ſed ad id rogatos debere inſtrumentum conficere. arg. *l.* 25. *ff. de procurat. cap.* 12. *verſ. Te igitur. extr. de privileg.* Anſ. 34 Ηγαγεν, id eſt, in judicium deduxit. 35 Πληρώσεως τοῦ συμβολαίου, id eſt, perfecti inſtrumenti. 36 Id eſt, tabellio fatebatur, ſe noſſe inſtrumentum completum eſſe, ſe tamen ignorare, quid inter contrahentes poſtremo conveniſſet, allegabat: nec enim ſe integrum inſtrumenti initium conſcripſiſſe, ſed ejus compoſitionem demandaſſe ſuorum alicui, id eſt, diſcipulo vel miniſtro: vel ſe alteri ejuſdem inſtrumenti completionem commiſiſſe, *l.* 17. *Cod. de fid. inſtrum.* 37 Senſus eſt: Cuilibet contractui tabellionem ipſum per ſe præeſſe & intereſſe debere. Intereſſe inquam, ab initio ad finem uſque, nec ante complementum inſtrumento adponere, quam norit τὴν ὑπόθεσιν, id eſt, negotium, de quo agitur. 38 Tabelliones ipſi per ſe convenire debent inſtrumenta compoſituri: neque aliter inſtrumentum abſolvere, niſi cauſas cognoſcant, ut interrogati a judice, id, de quo agitur, tuto ac certe referre poſſint. 39 Id eſt, tunc maxime, cum contrahendas literas ignorant, γραμμάτων ἀνεπιστήμονες, dicuntur Græcis, literarum legendarum & ſcribendarum ignari, *qui ne ſçavent ni lire, ni eſcrire.* 40 Inſtrumenti ad ſubſtantiam pertinere hinc colligunt, ut tabellarius de eo conficiendo ſit rogatus: alias non præſumi rogatum. Idque putat Rolandus a Valle motus communi interpretum opinione 1. *conſ.* 38. *n.* 4. & 1. *conſ.* 44. *n.* 25. 32. 33. 34.

quia ſi præter hæc aliquid egerint, cadent [1] omnino iis quæ vocantur ſtationibus [2]: & qui [3] ab eis dirigitur ad injungendum [4] documentum, & intereſt, ipſe dominus ſuper ſtationis auctoritate erit [5], & mutabitur cauſa: & ille quidem de cætero hoc obtinebit officium in ſtatione, quale qui in ea primatum tenebat: ille vero cadet ea: aut unus erit miniſtrantium illi: quoniam ille quidem dedignatus eſt hoc agere, quod erat conceſſum ei: ille vero ſecundum illius voluntatem hoc egerit, propterea nos hanc intulimus eis pœnam, ut optimi fiant circa documenta, & juſti, & cautiores, & non propter ſuam requiem & delicias corrumpant alienas vitas. §. 2. Si vero indignus ſit forte poteſtatem in ſtationibus ſuſcipere, is [6] cui documentum extra ea quæ a nobis diſpoſita ſunt per præſentem legem, injungitur, tabellio quidem cadat omnibus modis hac cauſa: alter [7] vero pro eo conſtituatur: nihil omnino damnificando ex hoc ſtationis [8] domino quicunque fuerit extraneorum, & non ipſe tabellio, neque cadente lucris exinde venientibus: ſed illo ſolo qui talia perpetravit, & dedignatus eſt ſuum complere opus, primatu cadente: omnibus quidem aliis ſuper ſtationis jure integris dominis ejus ab ipſis tabellionibus qui talia peccaverunt, ſervandis.

§. 3. Et non fingant tabelliones occaſiones, per ægritudinem forte diſcedentes, aut occupationes hujuſmodi: licebit enim eis, ſi quid tale fuerit, evocare [9] eos qui contrahunt, & per ſe cauſam complere: proinde hæc quæ contingunt raro [10], non impedimentum facient univerſis, eo quod nihil inter homines ſic eſt indubitatum [11], ut non poſſit (licet aliquid ſit valde juſtiſſimum) tamen ſuſcipere quandam ſolicitam dubitationem, ſed nec quæſtus eorum minores fieri per hoc, propter contrahentium frequentiam occaſionem habentes: cum melius ſit pauca [12] agere caute, quam multis intereſſe periculoſe. §. 4. Ut tamen non vehementer eis dura lex eſſe videatur, nos conjicientes [13] humanam naturam, mediocres [14] etiam eis leges noſtras ponimus, propter tales enim eorum forte dubitationes damus eis licentiam ſingulis unum [15] ad hoc conſtituere (geſtis [16] apud clariſſimum [17] magiſtrum cenſus [18] feliciſſimæ civitatis [19] ſolemniter celebratis) & licentiam [20] ei dare, ut delegentur ei ab iis qui veniunt ad ejus ſtationem & documenta, & dimiſſis [21] eis intereſſe: & nulli omnino alteri in ſtatione exiſtenti, licentiam eſſe, ut aut delegetur ei initium, aut cum dimittuntur, interſit: niſi tabellioni qui auctoritatem habet, aut qui [22] ab eo ad hoc ſtatutus eſt. Si vero præter hoc fiat, & alter delegetur: tunc ſubjacet pœnæ tabellio, qui auctoritatem habet a nobis dudum definitam: ipſis tamen documentis propter utilitatem contrahentium non infirmandis. Novimus enim quia legis metu de cætero & ipſi cuſtodient quæ a nobis decreta ſunt, & documenta ſub cautela facient.

CAP. II.

Ut tabelliones in protocollo deſcribant, idque cum die & conſule.

ILlud quoque præſenti adjicimus legi, ut tabelliones non in alia charta pura [23] ſcribant documenta, niſi in illa quæ in initio (quod vocatur protocollum [24]) per tempora glorioſiſſimi comitis ſacrarum noſtrarum largitionum habeat appellationem [25], & tempus quo charta facta eſt, & quæcunque in talibus ſcribuntur: & ut protocollum non [26] incidant, ſed inſertum relinquant: novimus enim multas falſitates ex talibus chartis oſtenſas & prius, & nunc: ideoque licet aliqua ſit charta (nam & hoc ſancimus) habens protocollum non ita conſcriptum, ſed aliam quandam ſcripturam gerens, neque illam ſuſcipiant, tanquam adulteram, & ad talia non opportunam, ſed in ſola tali charta, qualem dudum diximus, documenta ſcribant. Hæc itaque quæ de qualitate talium chartarum a nobis decreta ſunt, & de inciſione eorum quæ vocantur protocolla, valere in hac feliciſſima ſolum [27] civitate volumus, ubi plurima quidem contrahentium multitudo, multa quoque chartarum abundantia eſt, & licet legali modo intereſſe negotiis, & non dare occaſionem quibuſdam falſitatem committere, cui ſe obnoxios exiſtere demonſtrabunt, qui præter hæc aliquid agere præſumſerint.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc ſanctam declarata ſunt legem, tua celſitudo operi effectuique tradere feſtinet. Dat. 19. [28] Kal. Septembr. *Conſtantinop.* poſt BELIS. V. C. CONS. anno 2. [29].

TIT. XXIV.

UT [30] NON LIBERENTUR CURIALI [31] FORTUNA JUDÆI, NEC SAMARITANI, AUT HÆRETICI, OCCASIONE EORUM RELIGIONIS, SED CURIALIBUS QUIDEM FUNCTIONIBUS SUBJACEANT, PRIVILEGIIS VERO CURIALIUM NON FRUANTUR: POSSE VERO EOS CONTRA ORTHODOXOS QUOD SUBJACEANT CURIALI FORTUNÆ, TESTIMONIUM PERHIBERE, UT QUI ET PRO ORTHODOXA POLITIA RECTE TESTIMONIUM PERHIBEANT.

NOVELLA CONSTIT. XLV.

Idem Imp. Joanni P. P. iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

VErbum quoddam nobis tua retulit eminentia, quoſdam inter curiales eſſe Judæos forte, aut Samaritas, aut Montaniſtas, aut aliter reſpuendos homines, quibus nondum hactenus recta & immaculata fides illuxit: ſed & in tenebris ſedent animis vera non ſentientes ſacramenta: & quoniam hæreticos [32] odio habemus, putant per illam occaſionem liberi curialium eſſe functionum, & quæ competunt his, declinare. Nos igitur mirati ſumus, ſi ſapientia & acumen tuum tales eorum pertulit rationes, & non repente talia dicentes dilacerasti. Si enim homines quidam ſunt, qui quidem putant propter noviſſimam abſurditatem illa promereri ſe præmia, quæ ſolis maximis dignitatibus reſervavimus, quis non eorum habeat exoſam inverecundiam & ſtultitiam? Quapropter curiam exerceant [33] hujuſmodi homines, & nimis ingemiſcentes, & curialibus functionibus, ſicut etiam officialibus, ut dudum ſancitum eſt: & nulla [34] religio ab ejuſmodi eos excipiat fortuna, (horum enim nihil neque antiquorum qualibet legum, neque Novellarum dictum eſt) indigni tamen curiali ſint honore, & quoniam leges plurima curialibus præbent privilegia, & ut non cædantur [35], neque ad [36] aliam ducantur provinciam, & alia plurima, horum nullo [37] fruantur: ſed ſi quid ſcriptum eſt de curialibus, quod non confert privilegium, hoc etiam in his valeat, & compleant corporalia & pecuniaria munera, & nulla ab his eripiat eos lex: honore vero fruantur nullo, ſed ſint in turpitudine [38] fortunæ, in qua & animam volunt eſſe. Sic igitur eis de hoc diſpoſitum ſit.

CAP. I.

ILlud quoque nunciaſti dignum [39] quæſtione tua natum. Quia enim hæreticos [40] teſtimonium [41] perhibere prohibuimus, quando orthodoxi inter alterutros litigant, dantes eis per noſtram conſtitutionem [42], ſiquidem inter alterutros miſceantur illi & litigent, & uterque [43] hæreticus ſit, actor & reus, poſſe teſtimonium perhibere, dignis adinvicem exiſtentibus, & litigantibus, & teſtimonium perhibentibus: ſi vero rurſus hæreticus ſit & orthodoxus, contra hæreticos quidem etiam valde dari teſtimonium orthodoxo, adverſus orthodoxum autem nequaquam: orthodoxis quoque exiſtentibus litigatoribus nullum eſſe penitus acceſſum illis ad teſtimonium perhibendum. Docuiſti igitur nos quod quidam orthodoxi conſtituti refugiunt curialis eſſe fortunæ, & neceſſitatem ſubire perhibendi teſtimonii eos qui illi genere juncti ſunt, vel qui alias aliquo modo eorum ſciunt fortunam. Et quoniam lex eorum ſuſpendit ſuper [44] orthodoxis teſtimonia, propterea judices piguiſſe hoc admittere, cumque in vanum metuant invicem, qui hujuſmodi dubitant recipere teſtimonium, primum quidem pro [45] orthodoxis fiunt, (hoc autem leges agere hæreticos non prohibent) deinde ſi exiſtentes curiales poſtea contra fortunam reluctantes trahit quiſpiam ad curiam, & hæreticos ad teſtimonium vocat, quomodo non hoc pro noſtra agit republica? ut ſit quidem reſpublica litigans orthodoxa, & maxime ex quo nos Deus dedit imperare: qui autem ſuper hoc teſtantur, pro orthodoxis perhibeant teſtimonium. Converſatio enim noſtra recta eſt, & plena orthodoxa fide, omni alia hæreſi merito conſtituta ſub odio.

EPILOGUS.

† Et hoc igitur tua eminentia cuſtodiat, noſtram cognoſcens mentem, & quod reipublicæ expedit commemorans; & ſciens per omnia, quia illa nobis agere & ſancire lege ſtudii eſt, quæcunque noſtræ proſunt reipublicæ. Dat. 15. Kal. Septemb. *Conſtantinop.* poſt Conſulatum BELIS. V. C. [46].

1 Pœna tabellionis in hanc legem committentis. 2 Id eſt munere. Hic enim *ſtatio* pro munere accipi videtur, quod majus eſt, quam officium. 3 Is eſt, qui vocatur a Juliano *cap.* 174. diſcipulus tabellionis. 4 Ἐφ' ᾧ τε ἐπιλαγῆναι τὸ συμβόλαιον, ad perficiendum inſtrumentum. 5 Pœna tabellionis, qui per diſcipulum aut exceptorem ſive notarium, non per ſe inſtrumenta format, ſtationis amiſſio, cætera hic vide. 6 Tabellio. 7 Diſcipulus nimirum tabellionis. 8 Interdum alius eſt ſtationis dominus, alius tabellio. 9 Tabellio, licet ægrotus ſit, per ſubſtitutum inſtrumentum formare non poteſt: ſed ad ſe contracturos evocare debet, & ab eis cauſam integram audire. Poſſis etiam colligere, non ideo inſtrumentum reprobari, quod confectum fuerit a tabellione ægroto. 10 Vid. *l.* 3. 4. 5. 6. *ff. de legib.* 11 Nihil ita certum eſt, ut non poſſit controverti, deque eo quodammodo dubitari. 12 Utilius eſt pauca tuto agere, quam multa cum periculo. 13 Id eſt, oculis conjectis intuentes humanam naturam.
14 Id eſt æquabiles, συμμέτρες. 15 Licet tabellioni adjutorem & ſubſtitutum habere, & per eum contractus formare abſolvereque partibus: in ſtatione tamen. 16 Tabellio, ſubſtitutum quidem habere poteſt, ſed unum tantum eumque probatum in urbe a magiſtro cenſus: ut hinc conſtet, liberam ſubſtituti probandi facultatem tabellionibus fuiſſe, liberam inquam, hoc eſt ſine confirmatione magiſtri cenſus: ut in provinciis, apud defenſores civitatis. 17 Tabelliones igitur fuere in diſpoſitione & cura magiſtri cenſus in ipſis urbibus regiis: ut in provinciis ſub cura defenſoris civitatis. 18 Poſterior ætas hunc magiſtratum γενικὸν appellavit, auctore Leone 44. & Suida: ut & locum ipſum, in quo acta & infinuationes fiebant, quod & Cedreno in Nicephoro Phoca ταξείδιον. vid. Cujac. *hic.* 19 In provinciis vero apud defenſorem civitatum. 20 Senſus eſt: Subſtitutum tabellionis, mandato contrahentium inſtrumentum poſſe complere in ſua ſtatione, poſſe etiam ejuſdem inſtrumenti complemento intereſſe. 21 Ἀπολυομένοις παραγίνεσθαι, id eſt, qui abſolvendis intereſſent. 22 De eo jam dictum eſt. 23 Solent tabelliones contractus primo referre in ſchedam, deinde in mundum redigere: in mundum, id eſt in chartam puram, χάρτην καθαρόν. Hieronymus *adverſus Rufinum.* Schedulis nondum ad purum digeſtis. 24 Protocollum quid eſſet, dixi in epigraphe hujus tituli. 25 Protocollis continetur nomen Comitis largitionum, & tempus quo charta facta eſt. Jul. *hic. num.* 175. 26 Cur id jubeatur, dixi in epigraphe *ſupr. eod.* 27 Non idem eſt in primo capite hujus Novellæ. 28 16. *Scrimg. Julian.* 29 Id eſt, anno 537.
30 De Judæis & Samaritanis & hæreticis curialibus Julian. *conſt.* 41. De decurionibus hæreticis qui adverſus orthodoxos teſtimonium exhibere poſſunt. *Index Reginæ apud Cujac.* 31 Βυλευτικῆς τύχης. Scrimg. 32 Hæretici odio habendi. 33 *l.* 1. *C. de hæreticis. l.* 12. *l.* 49. *C. de decur.* facit *lex* 5. *l.* 10. *C. de Judæis.* 34 *d. l.* 49. *l.* 3. *in fin. ff. de dec.* 35 Τύπτεσθαι, id eſt, ne ictus fuſtium eis inferatur. *Hal.* tormentis ſubjiciantur. Jul. *hic.* Cruciatus & tormenta appellat *l.* 33. *Cod. de decur.* corporales injurias, *l.* 55. *l.* 58. *C. de decur.* additur a Scrimgero & Haloandro περί τε τὸ μὴ παρίστασθαι, id eſt, ne ſiſtatur judicio injurioſe. 36 *l.* 25. *C. de dec.* 37 Et ita hæretici coguntur onera civitatum ſuſtinere, etſi privilegia non ſentiant orthodoxis eodem munere fungentibus attributa. 38 Hinc colligunt nonnulli, Hæreticos infames eſſe, tamen non omnes inteſtabiles, *ut* Ĵ. *eod.* Infamis quidem eorum religio, non ideo tamen eorum teſtimonium paſſim reſpuitur, Ĵ. *eod.* 39 Id eſt, dignum tibi viſum fuiſſe, quod a nobis quæreres. 40 De teſtimoniis hæreticorum. Jul. *cap.* 177. 41 *l.* 21. *C. de hæret.* 42 *d. l.* 21. 43 Actore & reo hæreticis litigantibus, hæreticus teſtis eſſe poteſt, *ut hic.* Orthodoxo, & hæretico litigante, hæreticus in hæreticum teſtis eſſe poteſt, at non in orthodoxum: pro eodem poteſt. Ĵ. *ibi, ſi vero rurſus.* Inter ſolos orthodoxos nullo modo teſtari poteſt, *infr. ibi, orthodoxus quoque.* niſi orthodoxus refugiat munus curiæ. Poteſt enim eo ſpeciali caſu hæreticus audiri, deponens orthodoxum curialem, aut patre curiali genitum. Jul. *hic. n.* 177. 44 Ἐπ' ὀρθοδόξοις, id eſt, adverſus orthodoxos. 45 Teſtis, pro privatis orthodoxis qui eſſe poteſt, multo magis pro univerſitate orthodoxorum teſtimonium ferre poterit. 46 Id eſt, anno 536.

COLLA-

COLLATIO QUINTA.

TIT. I.

DE ECCLESIASTICARUM RERUM IMMOBILIUM [1] ALIENATIONE ET [2] SOLUTIONE [3].

NOVELLA CONSTIT. XLVI.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

ET circa leges ſtudium, & alia omnia a nobis ideo quotidie cum labore aguntur, ut utilitatem noſtris ſubjectis inveniamus: quod effuſum quidem immenſumque eſt, removentes, quod autem & optimum & meritum, ſubrogantes. Sæpe quoque ex ſtudio propter priorem immenſitatem etiam ultra menſuram legem conſtrinximus: ut quod primitus effluebat retinentes, ita æqualitatem de cætero introduceremus. Nuper [4] igitur ſcripſimus legem de ſanctiſſimis eccleſiis omnibus, & monaſteriis, & reliquis venerabilibus domibus, nullam [5] eſſe eis rerum immobilium alienationis licentiam permittentem. Videbamus [6] enim cauſam effuſam, & paulatim ad alios eccleſiaſticas migrantes poſſeſſiones, neque pretiis ſolutis dignis, neque opere inevitabili imminente alienatis: ſed etiam contra poſitas jam leges, decies millies circumventiones factas. Quocirca primam perimentes viam, omnibus ſimiliter inacceſſibilem contra earum facimus circumventiones. Sed hinc pleræque quidem ſanctiſſimarum eccleſiarum aliarumque venerabilium domuum utilitatem habuerunt poſſeſſiones, nullo has minuere præſumente. Occurrit tamen etiam aliquid difficile [7], debita enim aut longo tempore conſtituta, aut etiam poſtea ex quadam neceſſitate, & maxime per fiſcales occaſiones eis accidentia, ad alienationis neceſſitatem ſacras perduxerunt domos. Mobili enim non extante ſubſtantia ſufficienti, periclitabantur in noviſſimam venire neceſſitatem harum præſules, neque vendere potentes, neque unde debita ſolverent habentes. Sed pro talibus quidem debitis poſſe pro [8] ſolutione creditoribus dari poſſeſſiones eccleſiaſticas: tamen cum competenti ſubtilitate & obſervatione facienda ſolutione, jam ſæpe permiſimus: ſicut neque palam hoc noſtra prius permiſimus lege. Si vero non privatus aliquis eſt creditor, ſed imminet fiſcus, & exigit debita, eſt autem inopia pecuniarum, accipere vero immobilem poſſeſſionem impoſſibile eſt: fiſcum hic relaxare aliquid ſubtilitati legis competere judicavimus. Et ſi qua neceſſitas hujuſmodi fiat, etiam alienationem ſinere perſpeximus.

CAP. I.

SAncimus igitur, ſi ſanctarum aliqua eccleſiarum aut reliquarum colendarum domuum fiſcales debeat functiones, & unde faciat harum redditionem, non habeat: convenire omnes in unum & qui ex clero ſunt, & Deo amabilem epiſcopum ejus civitatis [9], inſuper & metropoleos, & ſacris [10] propoſitis eloquiis cauſam examinari: & ſi non apparuerit ullus [11] quæſtus citra alienationem immobilis rei valens ſolvere fiſcale debitum, tunc licentiam eis eſſe ſententia tali procedente, & decreto [12] celebrato apud provinciæ judicem, etiam poſſeſſiones immobiles contingere, & eas alienare ad ſolutionem debiti: ementibus [13] quidem, in fiſcum ſolventibus, & deſuſcepta [14] inde percipientibus & ſubeuntibus [15] fiſcale debitum, & cautelam inde habentibus, & nihil metuentibus primitus poſitam legem: conſtitutis etiam fiſcalibus deſuſceptis inſinuatis [16] inter monumenta geſtorum, deponentibus iis qui fecerunt ea, ut & apud ſanctiſſimas eccleſias ſalventur data deſuſcepta, eo quod fiſcalia ſoluta ſint tributa, & omnia ſecundum noſtram legem geſta ſint: non potentibus aliquibus fingere fiſcale debitum, & ita ad alienationes immobilium rerum accedere. Ideo enim & decreti factionem permiſimus [17], ut & fiſcale debitum teſtimonio pandatur, & ex quantis deſcendit temporibus, & quoniam non pecuniis ſolutum eſt, ſed in neceſſitatem alienationis venit, ut veritas undique proteſtata ſit: omnibus coram ſacris Evangeliis agendis: ſcientibus & epiſcopis, & clericis, & aliis omnibus, quia Deus reſpiciet quæ geruntur ab eis: & ſi quid egerint per dolum, aut lucrum, aut machinationem: hoc in ſuis recipient animabus viventes ac morientes.

CAP. II.

SI vero privatus aliquis creditor fuerit, poſſit ſecundum pro ſoluto [18] ſchema accipere immobiles poſſeſſiones, hic quoque decreto faciendo: pro menſura vero eorum debitorum aſſignandis eis poſſeſſionibus. Si vero fiſcale debitum fuerit, potentibus eis ad alienationem immobilium accedere ſecundum priorem obſervationem: ut nihil deſit neque ſubtilitatis neque communis utilitatis.

CAP. III.

HIs autem univerſis ſanctiſſimam majorem [19] eccleſiam feliciſſimæ hujus urbis, & ejus confinia, & orationum domos, quarum ipſa curam ſuſcepit, omnibus excipimus modis, quæ jam de hoc ſancita ſunt a nobis, in ſua virtute durantibus. Si autem & aliqua monaſteria ſub eadem ſanctiſſima majore eccleſia ſint: nec ea ſub præſentem facimus legem, forinſecis [20] in provinciis eam conſtituentes ſolum, in quibus multa quidem eſt inopia pecuniarum, per quam ſanctiſſimæ eccleſiæ ſolvere per pecunias debita non valuerunt.

EPILOGUS.

† Tua igitur celſitudo, quæ placuerunt nobis, cognoſcens, ſecundum hæc procedere ſuper ſacris rebus alienationes cuſtodiat. Datum 14. [21] Kal. Sept. *Conſtantinop.* poſt Conſul. BELIS. V. C. Anno [22] ſecundo.

TIT. II.

UT [23] PRÆPONATUR [24] NOMEN [25] IMPERATORIS [26] DOCUMENTIS [27], ET UT [28] LATINIS LITERIS APERTIUS TEMPORA INSCRIBANTUR.

NOVELLA CONSTIT. XLVII.

Imp. Juſtinianus Auguſtus Joanni præfecto prætorio, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

ILlud omnium honeſtius eſſe putandum documentum, & geſta, & quod omnino pro temporis memoria hominibus adinventum eſt, quod ipſa quoque commemoratione ornatur imperii. Conſules [29] etenim & indictiones, & quodcunque indicium temporum omnino eſt apud nos, ſunt quidem forſan & hæc ſignificativa horum quæ volunt: non tamen nos aliquod horum perimimus, ſed majorem adjectionem eis imponimus: ut ex majoribus & perfectioribus eis temporum deſignetur curſus. Si quis enim reſpexerit [30] ad vetuſtiſſima hominum, & antiqua reipublicæ: *Æneas* [31] nobis Trojanus rex, reipublicæ princeps: & nos quidem *Æneadæ* ab illo vocamur, ſive quis etiam ad ſecunda [32] principia reſpexerit, ex quo pure Romanorum nomen apud homines coruſcavit, reges eam conſtituerunt Romulus & Numa; ille [33] quidem civitatem ædificans, hic [34] autem eam legibus ordinans & exornans: ſive etiam tertia [35] principia ſumat quilibet imperii: Cæſarem maximum, & Auguſtum Pium: & ita rempublicam nobis inveniet hanc quæ nunc eſt valentem: ſitque immortalis ab illis procedens [36]. Erit ergo abſurdum in documentis [37] & in iis quæ in judiciis aguntur, & abſolute in omnibus, in quibus memoria quædam fit temporum, non imperium his præponi.

CAP. I.

UNde ſancimus eos quicunque geſtis [38] miniſtrant, ſive in judiciis, ſive ubicunque [39] conficiuntur acta, & tabelliones qui omnino qualibet forma documenta conſcribunt in hac magna civitate, ſive in aliis gentibus omnibus quibus nos præſidere dedit Deus, hoc modo incipere [40] in documentis: *Imperii* [41] *illius ſacratiſſimi Aug. Imperatoris anno tanto:* & poſt illa inferre conſulis appellationem, qui in illo anno eſt: & tertio loco indictionem [42], menſem [43], & diem: ſic enim per omnia tempus ſervabitur & pro imperii memoria, atque conſulatus ordine, & reliqua obſervatione interpoſita documentis, inadulterata hæc valde conſtituentur. §. 1. Si qua vero apud Orientis habitatores aut alios homines obſervatio cuſtodiatur in civitatum temporibus, neque huic invidemus, ſed præſcribatur quidem imperium: ſequatur vero (ſicut dictum eſt) conſul & indictio, atque menſis, & dies ſecundum quam geruntur & conſcribuntur quæ aguntur: & tunc inſeratur etiam civitatis [44] omnibus modis annus. Nos enim auferimus quidem priorum nihil, imperiali vero additamento cauſam augemus. Et inchoetur mox auctore Deo a præcedente prima indictione, ita quodammodo eis ſcribentibus: *Imperii Juſtiniani ſacratiſſimi Auguſti & Imperatoris anno* XI. *poſt Conſulatum Flavii Beliſarii clariſſimi viri anno* 2. *die autem tot, & tot, Kal.* ſicque in omnibus nominentur imperii anni, & noſtri, in quantum eos Deus elongaverit, & de cætero imperatorum. Palam namque eſt, quia nunc quidem annum XI. noſtri ſcribunt imperii: inchoante vero Aprili menſe, & prima [45] die, in qua nos Deus Romanorum ſuperpoſuit rebus, XII. annum ſcribent: & ita de cetero donec noſtrum Deus imperium extenderit: ut nobis etiam hæc cauſa ſuper leges, & harum celebrationem continue maneat immortalis [46], dum memoria imperii omnibus ſimul interfuerit cauſis atque temporibus.

1 Rerum ſcil. vel annonarum civilium, vel ruſticorum mancipiorum, Jul. *conſt.* 7. adde *Nov.* 7. §. & *eundem* Jul. *conſt.* 7. 2 Et aliis contractibus. Jul. *conſtit.* 7. 3 Additur in editione Scrimg. δίχα τῶν ἐν Κωνσταντίνυ πόλει, id eſt, exceptis Conſtantinopolitanis. 4 Intelligit *Novell.* 7. 5 Epitome *Novell.* 7. 6 Cauſa prohibitionis, *Nov.* 7. 7 Exinde ſcilicet. 8 Senſus eſt, Prædia eccleſiaſtica (ſi pecuniæ & mobilia deſint) privato creditori in ſolutum dari: vendi item poſſe cum præſidis decreto, ita ut pretium ſolvat emptor & tributa, quæ debet eccleſia: nec enim fiſcus prædia in ſolutum accipit. 9 De cujus debito eccleſiaſtico agitur. 10 Καὶ τῶν θείων προκειμένων λογίων. 11 Id eſt, ulla ratio. 12 Bona eccleſiaſtica vendi utiliter non poſſunt ſine decreto judicis, *ut hic,* quod tamen immutatum eſt *Nov.* 120.
13 Emptoribus pretium fiſco ſolventibus. 14 Ἀποδείξεις, id eſt, apochæ. 15 Id eſt, ita ut teneatur fiſco ad id exſolvendum, quod eccleſia fiſco debuit. 16 Inſinuati inſtrumenti exemplum petitur ex actis publicis, *l.* 4. *Cod. de fid. inſtr. l.* 2. *Cod. de diſcuſſorib.* 17 Hodie non requiritur decretum: ſatis enim eſt acta confici gratuito apud Patriarchas, metropolitanos epiſcopos, ſecundum ſuam juriſdictionem, *Nov.* 120. 18 Pro ſoluto σχῆμα, eſt titulus pro ſoluto, eo ſenſu: Privatum creditorem poſſe titulo pro ſoluto immobiles eccleſiæ poſſeſſiones accipere. 19 Sanctæ Sophiæ.
20 Exteris, ταῖς ἔξω χώραις. 21 15. *Scrimg.* 22 Hæ duæ voces non extant apud Scrimgerum, lata igitur fuit hæc conſtitutio anno 536. vel 537.
23 De præfatione inſtrumentorum. Jul. 8. *cap.* 178. 24 De præfatione inſtrumentorum. Jul. *conſt.* 42. 25 Huc refer *cap.* 1. Ĵ. 26 Hinc colligitur, Nomen Chriſti neceſſario quoque præponendum eſſe inſtrumentis. 27 Omnibus ſive in judicio, apud judicem, ſive apud magiſtrum cenſus, ſive apud defenſores, ſive in urbe, ſive in provinciis, Jul. 22. *cap.* 178. 28 Huc refer *c.* 2. Ĵ. 29 Ideo conſtitutum fuit: quod tempus inſtrumentorum initiis multifariam deſignaretur, puta Conſulibus, indictionibus, menſe & die adjectis. Quibuſdam in civitatibus conditæ civitatis annos præſcribi mos erat. Ægyptii annos numerabant ex ſuo Auguſtali, vide quæ dixi ad *tit. C. de off. præfect. Auguſtalis.* Aliæ civitates per ſuos conſules, per luſtra ſeu Olympiadas, vel quinque annos, tempora numerabant, ut Burdegalenſis civitas & ſimilia municipia. Quin & Romæ poſt vaſtationes Gothorum imperio Byzantium tranſlato (ut Roma municipium potius, quam ſedes imperii videretur) per Olympiadas ratio annorum cœpit computari, ut patet ex decreto Tert. Romæ urbis patricii, cujus ultima clauſula ita legitur, 2. Kalend. Jul. anno imperii Juſtiniani V. LVI. Olymp. vide Scalig. 2. Auſon. 23. *in fine.* 30 Hiſtoriæ Romanæ brevis & ſuccincta partitio. 31 Vide Liv. 1. 32 Conſules intelligit: tria enim fuerunt præcipua tempora apud Romanos, Regum, Conſulum, Imperatorum. 33 Vide Plutarch. *in Romulo.* 34 Vide Plutarch. *in Numa.* 35 Id eſt, Cæſarum: quorum principium *lex* 2. §. 11. *ff. de orig. jur.* refert vere ad neceſſitatem, id eſt, ad vim populo factam. Ammianus, paulo civilius, ad liberum populi arbitrium. Ideo, inquit, urbs venerabilis poſt ſuperbas efferatarum gentium cervices oppreſſas, latasque leges fundamenta libertatis & retinacula ſempiterna, velut frugi parens, prudens & dives Cæſaribus tanquam liberis ſuis regendi patrimonii ſui jura permiſit. 36 Hoc innuit, ſub Regibus, Romanos ſuos annos numeraſſe per reges, ſub conſulibus per conſules. 37 Id eſt, in inſtrumentis. *Goth.* Nomen Principis regnantis in inſtrumentis adhiberi ſolet. Vid. Gloſſ. *in l.* 3. *Cod. de Tabell. l. penult.* §. 1. *ff. de pignorib. l.* 3. *Cod. de diverſ. reſcriptis & ibid. DD.* plures ſolemnitates vide apud Weſenbec. *parat. de fide inſtrument. num.* 5. Anſ. 38 Actis publicis. 39 Apud magiſtrum cenſus, apud defenſores ſive apud tabelliones. 40 Inſtrumentis actiſque omnibus nomen imperatoris præponendum. 41 Βασιλείας τῦ θειοτάτυ, καὶ αὐτοκράτορος ἔτυς τοσῦδε. *Scrimg.* Imperante illo divo Auguſto, imperii anno illo, Jul. *c.* 178. 42 Indictio ſpatium 15. annorum. Is numerandi mos cœpit, non tempore Theodoſii magni, ut putat Cedrenus, ſed Conſtantini, ut ex faſtis Onuphrius prodidit, in quibus ſub Conſtantini II. conſulatu & Licinii II. ita eſt, Ἰνδικτιόνων Κωνσταντινιακῶν ἐντεῦθεν ἀρχή. Incipiunt autem Indictiones menſe Septembri, *l. ult. in fin. C. de annon. l.* 1. *C. de militari veſte: Nov.* 128. Interim notandum hæc eſſe paria quinto, indictione quinta, fuſione quinta. *l.* 6. *C. Theod. de indulg. tribut.* vid. Cujac. *Cod. de indictionib.* 43 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 3. *ff. de accuſat.* 44 Quædam enim civitates, ut antea oſtendi, conditæ ſuæ civitatis annos numerabant, a prima inſtitutione municipii. vide Scalig. 2. Auſon. 23. 45 Prima die Aprilis Juſtinianus Imperator inauguratus eſt. 46 Tempore, quo primis auſpiciis in mundanum fulgorem victura, dum erunt homines, Roma. Ammianus 14.

CAP.